



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 5. Ab Innoce[n]tio VIII. donis colitur. Car melitanis committitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

inuitissimis animis referre coegit pedem, stupore attonitos, & Deum profecto pro illa Aede stare memorantes. Nec tamen illis sacrilegus conatus impune fuit. Superbissimus Tyrannus haud ita multo post, subita morte extinctus: Hydruntum à Christianis receptum: Turcæ Italia pulsi. Cæterum id ipsum periculum Cardinalem Robureum Laureti Patronum admonuit, vt Lauretanum templum destinatis propugnaculis primo quoque tempore communiret. Ex eo templum ipsum in arcis modum impense muniri cœptum aduersus repentinos hostium incurfus.

Ab Innocentio VIII. donis colitur. Carmelitanorum curæ committitur.

Cap. V.

Cod. Laur.

Cap. Manr.

Xysto sublectus Innocentius Octauus, cuius Pontificatus quâ vrbis, ac domesticis turbis exercitus, quâ Neapolitano implicitus bello, nullam pene facultatem, opportunitatemue habuit bene de Lauretano templo merendi. Attamen huius laudis non penitus expertus fuit. Innocentius quippe eximia pulchritudine auream bullam cum gentilitijs insignibus donum misit Lauretanę Virgini suspendendam è collo, velut suæ erga illam religionis indicium. Pontificale insuper amiculum (pluuiale appellant) ex holoferico villoso, auroque magnificis sane ac præclaris floribus pictum, & opere Phrygio prætexto, margaritisque conspicuum. Ad hæc peripetasmata intexta ex auro, sericoque. Eodem Pontifice Card. Robureus, Lauretanæ Domus pariter, & Carmelitanæ familiæ Patronus, haud parum memor Carmelitanos patres nuper certis argumentis probasse Xysto Quarto auunculo suo, sacram Domum priusquam è Galilæa discederet, Carmelitanorum commissam fuisse curæ; eosdem ex authoritate Pontificis

Pontificis Lauretano præposuit templo. Hi iam pridem à Barbaris ex Asia pulsi Europam non magis cœnobijs, quam optimis exemplis impleuerant, cæterum laxatam paulatim disciplinam nuper in Italia nouis adstrinxerant legibus. Lecti xxx. ex eorum numero maximè ad eam rē idonei. Horum ex numero Baptista Mantuanus fuit Congregationis Mantuanæ Vicarius Generalis, qui Lauretanae Domus scripsit historiam, & Robureo Cardinali dicauit eo ipso anno, quo Lauretū venit, hoc est M. CCCC. vnde nonagesimo.

Baptista Mantuani testimonium.

Cap. V I.

Baptista igitur Mantuanus Theologus idem, ac Poeta egregius initio suæ historiæ, egregium Aedi Lauretanae tribuit testimonium, quod ab re non erit nostræ historiæ intexere. *Cum nuper, inquit, venissem ad sacratissimæ Virginis Mariae sanctum domicilium, vidiſsemque qualia, & quanta Deus ostendit in eo loco miracula, & suæ virtutis, atque clementiæ signa manifestissima; me subito horror inuasit, & visus sum audire vocem Domini loquentis ad Moſen: Non appropinques huc, solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Inde præfatus legisse se in templo Lauretano tabulam parieti affixam, situ & carie corrosam, in qua vnde, & quonam pacto locus ille tantam sibi vendicasset authoritatem, conscripta erat historia, hæc inquam præfatus adiecit. *Historia igitur in tabella continebatur eiusmodi, Templum B. Dei Genitricis Lauretanae quondam ipsius Virginis cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele salutata, & Spiritu sancto fuit obumbrata. Cætera inde persequitur, quæ à Præposito Teremano memoriæ prodita, & in Lauretana Aede proposita diximus: vt ex Teremani tabula esse deprompta satis appareat.*

Bapt. Mant.
testimoniū.